



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio II. In qua de Scientia Confessario necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

divisse venialia tantum & non mortalia? vel tantum peccata jam confessaria? adverte hic etiam, quod Indulgentiarum tempore, datâ facultate eligendi sibi quemcunque Confessarium, de quoq; Bulla Jurisdictionem supposita Approbatione.

QUÆSTIO II.

In qua

De Scientia Confessario necessaria.

Vicar. **C**ur maximè necessaria Confessario Scientia?

Sac. Ideò, quia ipsi competit officium Judicis, ac Medici, debet proindè scire concernentia suum officium, alioquin se exponet periculo errandi in materia gravi.

Vicar. Qualis autem Scientia exigitur in Confessario?

Sac. Saltè Mediocris.

Vicar. Non eminens?

Sac. Cum hac Scientia paucos esset re-
pe-

perire Ministros Sacramenti Pœnitentiæ, non enim ignoro Scientiam eminentem respicere subjectum in Theologia morali, Jure Canonico, ac intelligentia Casistarum optimè versatum, sciensq; difficiliore casus conscientie casus resolvere.

Vicar. Quis ergo censendus est Minister Sacramenti Pœnitentiæ præditus scientiâ mediocri?

Sac. Existimo quòd ille, qui præterquam quòd sciat distinguere inter peccatum mortale & veniale, sciat quoq; discernere inter speciem & speciem, inter circumstantias speciem mutant, aut aggravantes; item sciat judicare de obligationibus Pœnitentis, contractis ratione peccatorum, recitumq; formare judicium de statu conscientie illius; hic tamen adverto pro diversitate locorum majorem scientiam requiri in uno, ac in alio, majorem in Confessario destinato pro civitate, ubi occurrit conversari inter Officia-

ficiales ac Mercatores, quàm in desti-
nato pro pago ad providendum spiri-
tualiter populo simplici.

Vicar. Redditiurnè Confessio invalida
facta Sacerdoti ignaro?

Sac. Si adeò ignarus sit, ut nesciat in
quonam consistat materia & forma Sa-
cramenti Pœnitentiæ, aut quæ sint e-
jus partes essentielles, procul dubio
redderetur invalida, ast hoc genus ig-
norantiæ, ut quidam D. scribit, est ra-
rissimum, & quasi moraliter impossi-
bile in Confessario recto rationis usu
prædito.

Vicar. Confessarius, qui caret Scientiâ
requisitâ, audiendo Confessiones,
quid incurrit?

Sac. Peccatum mortale, siquidem se
exponit periculo committendi in nu-
meros errores, Confessio tamen illi
facta esset valida, (suppositis omnibus
essentialiter requisitis) neq: Superio-
res illius id permittentes excusantur à
peccato gravi.

Vic

Vicar. Peccatnè etiam Pœnitens requirens Confessarium, quem scit esse sic ignarum?

Sac. Omninò, utpotè provocans illum ad peccatum.

Vicar. Suntnè tamen aliqui casus, in quibus Pœnitens confessus Ministro imperito excusaretur à peccato?

Sac. Sunt sequentes: quando videlicet Pœnitens est valde sibi ipsi sufficiens ad suorum peccatorũ gravitatem Confessario exponendam; item si quispiam confiteatur Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, quem bonâ fide existimat esse capacem; item si personæ confitentes sint spirituales, solitæ sæpe confiteri, & communiter non alijs, quàm venialibus peccatis gravatæ; deniq; si Pœnitens sit in articulo mortis, nullo alio tunc peritiori presente, quod procedit etiam pro Christianis apud infideles degentibus captivis, aut liberis; additur ab aliquibus hoc pariter esse extendendum ad illos Pœnitentes, qui

in pago commorantes Parochum habent imperitum, atq; ad eam reducunt necessitatem, ut aut Parocho confiteantur, aut cum periculo salutis Sacramento Pœnitentiæ remaneant privati.

Vicar. Si contingeret moribundum vel etiam Pœnitentem extra articulum mortis confiteri Sacerdoti valde ignaro, essetne obligatus evadens periculum Confessionem repetere?

Sac. (Supponendo per Sacerdotem valde ignarum intelligi illum, qui scilicet sciat discernere inter peccatum mortale & veniale, sciatque proferre formam Absolutionis) sentio moribundum, imò & constitutum extra articulum, qui integrè confessus est Sacerdoti sic ignaro, non teneri Confessionem repetere.

Vicar. Quâ ratione?

Sac. Ideò, quia Confessio iteranda non est, nisi interveniat aliquis defectus ex parte Pœnitentis, aut ex parte Sacer-

do-

lotis, qui tamen concernat essentia-
ia, in casu autem non esset; in casu
namq; præsentis Pœnitens integrè con-
fiteatur, & habet omnia alia necessaria
pro validitate Sacramenti, ex parte
quoque Confessarij adsunt omnia ne-
cessaria quoad substantialia, nempe
Jurisdictio expedita, intentio debita,
& vera forma, igitur obligatio repe-
tendi non adest.

Vicar. Repetitionem postulat igno-
rantia, quâ laborat Sacerdos?

Sac. Minimè; ex eo enim, quòd Sacer-
dos sit ignarus modò explicato, non
subtrahitur aliquid essentiale Sacra-
mento.

Vicar. Talis Sacerdos videtur eodem
modo se habere, acsi delicta non per-
ciperet, ideoq; esset in Pœnitente ob-
ligatio repetendi.

Sac. Supponitur Sacerdos ille non esse
dormiens, nec surdus, aut Pœnitentem
non intelligens, neque Pœnitens
ità loquitur ut non intelligatur, ideoq;
pec-

peccata deferuntur morali modo. *Sac.* P
 Sacerdotem tanquam ad Judicem, dicitur
 ipse non percipiat ita, ut possit fornicatio
 re iudicium perfectum de statu Penitentis, satis est ad non iterandum, quod est, a
 Penitens se constituat in tali statu, omni
 possit judicari quoad suam conscientiam mutata
 tiam.

Vicar. Qualis Judex tamis ignorantibus
 tenebris circumdatus?

Sac. Est Judex non deficiens in aliquo
 concernente essentialia Sacramenti
 & quia saltè secundum communem
 rationem scit distinguere inter mortale
 & veniale, ita cognoscit, ut possit
 formare iudicium ad minus imperfectum
 de statu Penitentis, quod sufficit
 ut possit absolvere validè, dicaturque
 procedere ut Judex informatus saltè
 imperfectè.

Vicar. Ut Judex validam ferat sententiam,
 debet cognoscere saltè substantialia
 causa, quæ possunt illam diversificare,
 quod non contingit respectu Sacerdotis tam ignari. *Sac.*

modos ac. Hoc utiq; verum est respectu Ju-
em, dicis judicantis in *foro externo*, ubi Ju-
forstitia exigit, ut ponatur debita æqua-
Politas in ijs omnibus, à quibus ablata
n, quæ est, ac proindè consideranda sunt ea
atu, omnia, quæ in causa substantialem
a scie mutationem causare possunt, ad hoc,
ut in omnibus constitui possit debita
æqualitas; ast in *foro conscientia* requi-
ritur solùm, quantum est ex vi sub-
stantia judicij; quòd constituatur de-
bita æqualitas inter DEUM, & pecca-
torem, quæ obtinetur eò ipso, quod se
reconciliet cum DEO, & ut reconcili-
lietur, sufficit, si se integrè accuset, &
Sacerdos percipiat, an graviter, an ve-
rò leviter offenderit, ut possit per Ab-
solutionem ipsum DEO reconciliare.
Vicar. Sed negari non potest in illo
casu contingere defectum, neq; adesse
integram cognitionem causæ?
Sac. Integram causæ cognitionem non
requiri, adverto ex eo, quia sinè ea
validè hoc Sacramentum ministrari

potest: ut si ex rationabili causa Confessio non posset fieri integra, aut tantum tantum peccatum explicari possit; quod attinet defectum, hinc cernit solum integralia, atq; adeo summum supplendus, non autem randa Confessio.

Vicar. Ad quid ergo tenetur moribus convalescens, qui confessus fuerat Confessario tam ignaro?

Sac. Si convaluerit, & cognoverit quod Confessarius non imposuerit eas obligationes, quæ erant imponenda, tenetur aliquem virum doctum sive in Confessione, sive extra illam consulere, ut discat ab ipso, quid faciendum sit, ad hoc, ut propriae consulat conscientiae; per hoc enim, quod sit absolutus à peccatis, non remaneat liber ab obligationibus, quibus aliter tenetur, & ideò debet ipsis satisfacere; similiter etiam si habuerit casus intricatos, & arduos, quos dictus Confessarius tanquam communes, & non

difficiles præterierat, tenetur de novo subijcere clavibus, ut in ipsis à Confessario perito judicetur, quia cum per sententiam Confessarij non sint extricati, se habent, ac si non essent clavibus subjecti.

Vicar. Quid facere oportet Confessarium dubitantem de sufficientia sua ad ministrandū Sacramentum Pœnitentiæ, ut licitè audire possit Confessiones Fidelium?

Sac. Non oportet perseverare in suo dubio, sed si occurrat quempiam approbatum vexari tali dubio, debet illud deponere, & remittere se supra iudicium suorum Superiorum, à quibus iudicatus est capax, & ità tutè, ac liberè Confessiones excipere.

Vicar. Quid facere oportet Confessarium simplicem in casu quo non posset distinctè cognoscere, & discernere singula peccata Pœnitentis?

Sac. Si quandoque contingeret vel ob parvitatem materiæ, vel imperfectum
con-

consensum, aut ignorantiam Penitentis difficulter posse facere discernimen, oportebit illum habere intentionem absolvendi à peccatis talia qualia in se sunt; ulterius adverto pariter Confessarium mediocri doctrinae occurrentibus difficultatibus tioris momenti, e. g. in materia tractuum, restitutionis &c. valde accuratum esse debere, neq; ubi necessitas exposceret, aliter Penitenti de salute providere, quam consulto prius sistat.

QUÆSTIO III.

In qua

De Prudentia in Confessario specialiter requisita.

Vicar. **Q**uantum Prudentiæ requiritur Confessionum auditio?

Sac. Plus quam quæcunque functio in exercitio consistens respectu Sacramentorum omnium.